



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

302. *lorosè procedens ex num. 467. de Virtute: ergo, vel dolor pœnitentis non est sufficiens ad valorem Sacramenti, vel si sufficiens sit ad valorem, sufficiet quoque ad fructum Sacramenti suscipiendum.*

Fit sextò contrà Joannem à S. Thoma: non posse dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, ex defectu integritatis, ex ignorantia invincibili v. g. casu, quo quis in examine se negligenter gerat, putans invincibiliter, se satisfacisse examini, & postea confiteatur peccata, quæ meminit cum dolore universali, & proposito non peccandi de cætero. Ratio est: quia diligens examen necessarium non est necessitate mediæ ad justificationem, sed solum necessitate præcepti ad Confessionem, integrè faciendam: ergo ex quocumque capite excusetur quis à culpa in defectu examinis, defectus iste non impedit gratiam, & remissionem peccati, si cætera necessaria ad valorem Sacramenti existant. Consequentia tenet, & Antecedens patet in moribundo non potente examinare conscientiam, & tamen apponente omnia necessaria necessitate Sacramenti. Quo in casu datur examen in voto, & Confessio formaliter integra, quamvis non materialiter, in qua omnia peccata includuntur ex dictis num. 466. de Virtute.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

§. I.

303. **O**bjicies primò: qui commisit duo peccata, & invincibiliter oblitus unius, fatetur alterum, cum dolore particulari ipsius, apponit quidquid requiritur ad valorem Sacramenti: sed non apponit quidquid requiritur ad fructum, cum non remittatur sine retractatione peccati obliti: ergo in illo casu Sacramentum poterit esse validum, & informe. Confirmatur: Baptismus potest esse validus, & informis ex defectu doloris, & similiter alia Sacramenta cum obice ad gratiam: ergo similiter alia Sacramenta cum obice ad gratiam: ergo similiter Sacramentum Pœnitentiæ. Respondeo: dist. Maj. si non habeat cum illo dolore propositum non peccandi de cætero, nego; si habeat, concedo Maj. & dist. Min. non apponit, si non adsit illud

propositum, conc. Min. si adsit, nego Min. & conseq. Ratio est, quia ut constat ex n. 467. de Virtute propositum illud, utpote dolorosè procedens, est dolor virtualis: Undè non solum satis est ad valorem, sed etiam ad fructum.

Si autem propositum illud deficiat, deficit pars essentialis Sacramenti, cum Constitutio ad Sacramentum requisita includat tale propositum, ut constat ex Trid. sess. 14. cap. 4. adeoque Sacramentum erit invalidum. Undè nunquam erit validum, & informe. Ad Confirmationem: concedo Antecedens, & nego conseq. Ratio est: quia dolor in aliis Sacramentis non est pars constitutiva Sacramenti, sed solum dispositio ad gratiam: adeoque sine illo potest esse tota essentia Sacramenti. In Sacramento verò Pœnitentiæ dolor est pars constitutiva Sacramenti, adeoque nulla est paritas.

Objicies secundò: Si non posset dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe; maxime quia idem dolor requisitus ad fructum Sacramenti, requireretur etiam ad valorem: sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur Min. Qui ex iusta causa tacet aliquod peccatum v. g. Homicidium, & confitetur alia, dolens de singulis propter speciales turpitudines, tunc dolor peccati commissi requiritur ad fructum Sacramenti, sed non ad essentiam ejus: ergo, &c. Probatur Min. quia dolor, qui est materia Sacramenti, & spectat ad ejus essentiam, debet fieri sensibilis dolor peccatorum, quæ quis confitetur, non autem dolor aliorum: ergo dolor aliorum, quæ tacet, non est pars Sacramenti, neque spectat ad ejus essentiam: adeoque etiam si ille deficeret, maneret tota essentia Sacramenti.

Respon. concedo Maj. & nego Min. Ad prob. nego Min. Ad probat. distin. Maj. debet fieri sensibilis per Confessionem, nudè sumptam, nego, ut est ordinata ad reconciliationem cum Deo, concedo Maj. & distin. Min. nego Conseq. Ratio est, quia Confessio nudè sumpta dolorem non significat: potest enim dari nuda declaratio peccatorum, sine dolore. Confessio autem, ut est ordinata ad reconciliationem cum Deo, significat dolorem requisitum ad essentiam Sacramenti, quem ex parte sua debet apponere peccator, ut

eam reconciliationem obtineat: cum autem ad eam reconciliationem non solum requirat Christus Dominus dolorem de peccatis, quæ quis confiteretur, sed etiam universalem se extendentem ad omnia commissa, etiam oblita invincibiliter, saltem ratione propositi universalis dolorosè procedentis, ut sæpè diximus, ea de causa per validam Confessionem manet dolor ille significatus: quod velint, nolint, tententur dicere Adversarii, & omnes Catholici, ut patet in moribundo, qui nullum peccatum potest declarare, solumque confiteretur per signa: quæ Confessio significat dolorem omnium peccatorum, non ex alio titulo, nisi quia est ordinata ad reconciliationem cum Deo.

§. II.

307. **O**bjicies tertio, supponendo casum, quod adultus, postquam suscepit Baptismum validum, & informem, ob defectum inculpabilem doloris peccatorum mortalium, quæ commiserat, ideoque quoniam ista fuerint ei remissa; postea vero confiteatur peccata mortalia, vel solum venialia commissa post Baptismum cum Attritione istorum ob eorum specialem turpitudinem, v. g. in ratione furti non communi peccatis ante Baptismum, vel quia ista sunt commissa ab homine Christiano cum proposito non peccandi, ob idem motivum malitiæ furti, vel reincidentiae, vel peccati hominis Christiani, & præterea habeat etiam dolorem de commissis ante Baptismum ob suam specialem turpitudinem. Quo posito, sic formatur argumentum. In hoc casu ad effectum remissionis peccati commissi post Baptismum requiritur in Sacramento Pœnitentiæ etiam dolor de commissis ante Baptismum, quia sine tali dolore non deleberetur illa, & consequenter nullum: atqui ad valorem, & essentiam Sacramenti Pœnitentiæ non requireretur, nec spectare posset dolor de commissis ante Baptismum: ergo ad remissionem peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ requiritur aliquis dolor, qui non requiritur, tanquam pars, ad essentiam Sacramenti: adeoque sine illo Sacramentum esset validum, & informe, cum solo dolore de commissis post Baptismum, nec virtualiter se extendente ad commissis ante Bap-

R. P. Gormaz, Theolog. Tm. II.

tismum. Probatur Minor, quia commissis ante Baptismum non possunt esse materia Sacramenti Pœnitentiæ: ergo neque eorum dolor. Hoc argumentum magni faciunt Adversarii, at si advertissent, invenissent jam solutionem in Tridentino. Quapropter.

308. **R**espondeo: admissio casu, conc. Maj. & nego Min. Ad prob. & conc. Ant. nego Conseq. quia juxta Trident. n. 288. dolor, qui ex institutione Christi requiritur ad fructum hujus Sacramenti, est pars illius: in casu autem proposito dolor de commissis ante Baptismum requiritur ad fructum Sacramenti Pœnitentiæ; adeoque est pars hujus Sacramenti. Item in casu proposito requiritur propositum universale non peccandi de cætero dolorosè procedens, qui est dolor virtualis, non solum de commissis post Baptismum, sed etiam ante Baptismum, cum debeat excludere omnem voluntatem conditionatam committendi ea peccata, quamvis homo baptizatus non esset; sine cujus voluntatis conditionatæ exclusionem, non excluderet illa Contritio omnem voluntatem peccandi, quam excludere debet, ut definit Tridentinum sess. 14. cap. 4.

309. **U**nde dolor ille requisitus ad valorem Sacramenti est virtualis dolor de omnibus commissis, quæ memoriæ non occurrunt, sive commissis sint ante, sive post Baptismum. Quapropter, quando Adversarii dicunt, sufficere propositum non reincidendi, vel non committendi peccatum, quod denominet hominem christianum peccantem; simulque docent dolorem illum non se extendere ad peccata ante Baptismum, vel ante illam Confessionem commissis, manifestam implicantiam in terminis docent. Ratio est: quia illa Contritio excludit omnem affectum peccaminosum ad peccata præterita; aliter non esset impossibilis cum omni voluntate peccandi: atqui est manifesta in terminis implicantia, dicere, quod excludit omnem affectum ad peccata præterita, & quod non se extendit ad illa: ergo implicatoria manifestè docent.

310. **U**nde licet reincidere, vel committere peccatum post Baptismum, non sit primò committere peccatum, vel committere tempore infidelitatis; est tamen excludere affectum ad peccatum, quod commisit

G g g g g

tempo.

tempore infidelitatis, & tempore, quo non erat reincidentia, sed prima peccati commissio: Unde quæcûmque apponatur conditio in motivo doloris, exponenda est, ut intelligatur, an dolor ille sufficiens sit ad valorem Sacramenti. Si enim illa conditio non tollit rationem motivi universalis, adeoque, neque quod affectus ille excludat omnia peccata, talis dolor erit sufficiens ad valorem, simulque ad fructum Sacramenti; si verò ea conditio tollat talem rationem motivi universalis, dolor elicitus, neque sufficiens erit ad fructum, neque ad valorem: adeoque ex eo capite omninò repugnat Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe.

§ 11.

Ratio autem Theologica pro Adversariis, simulque pro nobis est, quia actus ille universalis non solum excludit peccata commissâ, quæ fuerunt peccata reincidentiæ, sed ea, quæ fuerunt primæ commissionis, sive quod idem est, non solum excludit peccata reincidentiæ præsuppositivè, sed quæ essent reincidentiæ constitutivè: cum autem sub huiusmodi reincidentiæ, non solum comprehendantur peccata post Baptismum, sed etiam ante Baptismum commissâ, neque solum ea, in quæ quis relapsus fuit, sed etiam ea, in quæ lapsus fuit; ea de causa ejusmodi affectus universales excludunt omnem voluntatem peccandi, & sunt sufficientes non solum ad valorem, sed etiam ad fructum Sacramenti. Quod ulteriùs evidenter demonstratur: nam si aliquis solum excluderet, & detestaretur sola peccata, in quæ relapsus fuit, non autem ea, quæ solum semel commisit, talis actus nequaquam excluderet omnem voluntatem peccandi, adeoque neque satis esset, juxta Tridentinam doctrinam, ad valorem Sacramenti. Si autem eam voluntatem excludat, sufficiens est, & ad valorem, & ad fructum Sacramenti, sive ad Sacramentum validum, & formatum. Unde ex nullo titulo reperiri potest unquam Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe.

§ 12.

Objicies quartò: Quamvis Tridentinum de dolore dicat, esse partem hujus Sacramenti, quatenus ex institutione divina ad integritatem Sacramenti, & peccatorum remissionem requiritur, adhuc tamen est dubium, an loquatur de parte essentiali, an de integrali: etenim de satisfactione Sa-

cramentali idem dicit, & tamen non est pars essentialis, sed integralis, sine qua potest esse Sacramentum in tota sua essentia, & valore: ergo manebit etiam locus in Trid. ut dicamus, dolorem de obliis, aut de iis, de quibus est iusta causa tacendi, scilicet de commissis ante Baptismum, esse quidem hujus Sacramenti, quatenus ad remissionem culpæ gravium requiritur; non tamen esse partem essentialem, sed integram, sine qua potest esse tota essentia, & valor Sacramenti.

Respondeo: nego Antecedens, nimirum posse esse tale dubium: nam si semel admittatur, dolorem esse partem necessariam ad remissionem, necessario debet concedi, esse partem essentialem Sacramenti, sine qua Sacramentum non possit esse validum. Ratio est: quia pars essentialiter requisita ad veritatem Absolutionis est essentialiter requisita ad veritatem, sive ad valorem Sacramenti: cum autem ea, quæ essentialiter requiritur ad remissionem, essentialiter requiratur ad veritatem Absolutionis; requiritur etiam essentialiter ad valorem Sacramenti. Nulla autem est paritas de Satisfactione: hæc enim ita est pars Sacramenti, ut nequaquam requiratur essentialiter ad remissionem, ut constat à num. 75. adeoque non est pars essentialis, sed integralis Sacramenti. Ceterum, ut hæc clariùs appareant, facile potest ostendi, quàm debile sit argumentum, & quàm magis pugnet contra Adversarios, quàm contra nos: nam si liceret arguere ex cerebro nostro, non attendendo ad Tridentinam doctrinam, & praxim Ecclesiæ, facile possemus contra ipsos ita argumentum retorquere, nimirum: cur non erit locus in Tridentino, ut dicamus, dolorem de peccatis, quæ quis confitetur, esse quidem partem, quatenus ad eorum remissionem requiritur; non tamen esse essentialem, sed integram, atque adeo sine ullo dolore poterit hoc Sacramentum esse validum, licet informe? aut cur non idem poterit dici de Confessione: quæcûmque enim ratio assignetur ab Adversariis, est solutio argumenti, quod efformant contra nostram doctrinam.

DISPU.